

Philippus Callimachus Florentinus, Der:  
slao de Rithvani palatino Sandomirien:  
si salutem plurimam dicit

Dij precor efficiant mea sint somnia vera  
Et referat noctis candida visa dies  
Quodque mihi nuper visus prestare sopito  
Presidium vigili vir generose feras.  
Sunt aliquid mentes subeuntes nocte figura  
In non sollicito pectore pondus habent  
Et licet occultos rerum deprehendere fines  
Cum mens est somno membra tenente vigil.  
Nunc ego cum facilem spirarent ora quietem  
Aspexi vite prosperiora mee:  
Nam mihi visus eram rapidum tranare fluentum  
Dum fugio infestum post mea terga lupum,  
Et potui iam iam ripam prensare secundam  
Bonere et in tuto corpora fessa solo,  
Cum gens crudelis nostrique ignava timoris  
In medias iterum precipitavit aquas,  
Sed mihi subsidium subito te currere vidi,  
Et per te infesto tutus ab anne fui.  
Clave vir Arthoræ regionis gloria fallax  
Si dubitem visis velle favere meis:  
Nam tibi mite dedit pectus natura, sed illud  
Fecerunt artes mitius esse bonæ,  
Quas coluit toto te nemo fidelius aeo,  
Tantaque nec cuiquam provenit inde reges:  
Nec facile invenies alium qui promptius adsit,  
Et fauceat miseris candidiore fide.

Sponte

Sponte soles etiam crebro succurrere lassis,  
Et qui non ausus poscere sensit opem.  
Non poteris nostras igitur contemnere voces,  
Supplices, et tenas ad tua iura manus.  
En ego iactatus pelagi, terraque periculis,  
Et passus, meritis ulteriora meis  
Ad te confugio supplex, et pectore toto  
Imploro, auxilium consiliumque meum  
Non patiare precor, me de tot millibus unum  
Grasidium vana voce petisse tuum.  
Quod potes exigua cura succurrere merenti  
Si vacuum pectus labe mereatur opem,  
Exipe quassatam non duro littore navem  
Quam maris immerito tanta procella rapit.  
Inclita multa tuae vitae sunt gesta, deusque  
Eximium Arthois per tua facta venit,  
Hunc alius adiunge precor pietatis honorem,  
Servatus fuere gloria magna tibi.  
Si velis exemplum iusti praebere patroni,  
Insontem tu me quem tuearis habes,  
Sive pius dici potius maior, suscipe causam  
Hospitis, hoc posset quid magis, esse pium?  
Finge mei tristes vultus spectare parentis,  
Et velut ad nati squallida membra rogamus,  
Ante oculos fratrum, lacrimas tibi pone meorum,  
Oraque per nostram detenuata fugam,  
Et velut audires, miserarum verba sororum,  
Spectaresque unchas ire per ora manus,  
Innumerosque alios caro mihi sanguine iunctos,  
Exilium tristes quos fuit esse meum.

Affer

Affer opem misero, saltem miserere meorum,  
Cura parum de me si tua corda movet.

O tua per populos qualis post fama Latinos  
Ibit, et accedet gloria quanta tibi.

Cum pater et fratres, ac cætera turba meorum,  
Præsidio salvum me feret esse tuo.

Hospita terra tibi Laciū te tollet ad astra  
Et grato dicet grata fuisse viro.

Ipse quoque officiū tanti memor usque manebo,  
Et si Nestoreos dent mihi fata dies,

Ingentique dedit quidquid natura iubebo  
Laudibus egregiū serviat usque tuis.

Carminebus tua facta canam pedibusque volutis,  
Et per me vives post tua busta diu.

Da mihi quæso brevem vitam, tua crede perhennis  
Fiet, et adiungam post modo sideribus

Octavus venies custos Erimantidos urve

Cuius nunc septem plaustra triones habent.

Tu modo cum nostra ne te contemne salute,  
Et mecum laudes pertueare tuas.

*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*